

Resp. Dist, seu explico. Id praestat S. Scriptura et Ecclesia per *appropriationem*, quatenus Pater fons est divinitatis, neque missus fuit ut Filius ad redimendum, et Sp. Sanctus ad sanctificandum; conc. Quasi proprietatem deitatis solus habeat Pater; nego. Ut igitur varia fidei mysteria nobis simul exhiberentur, usa est S. Scriptura et ipsa Ecclesia ejusmodi loquendi oeconomia.

Objic. 4.º In SS. Literis non raro et angeli et homines dicuntur dii; ergo ex illis nihil pro divinitate Sp. Sancti concludi potest.

Resp. Dist. *ant.* Dicuntur dii cum aliqua exceptione, quae explicite vel ex contextu elucet; conc. Sic dicitur de Moyse, constitui a Deo in deum Pharaonis. Modo absoluto vocantur dii, ita ut, in eodem ordine cum Deo exhibeantur; nego.

ARTICULUS II.

Unitas essentiae Personarum divinarum.

THESIS XI.

Pater, Filius et Spiritus S. sunt consubstantiales, seu unius ejusdemque substantiae.

88. *Nota:* thesis est de fide catholica saepe definita.

Prob. I.º Syn. oecumen V. can. I. «Si quis non confitetur »Patris et Filii et Sp. Sancti unam naturam sive essentiam, unam »virtutem et potestatem, Trinitatem consubstantialem, unam deitatem in tribus subsistentiis, sive personis adorandam; talis A. S.»

Damasus Pp. cum Syn. Rom. (a. 378) definivit: «Haec »ergo est salus Christianorum, ut credentes Trinitati, id est, Patri »et Filio et Spiritui Sancto, in ea veram, solamque unam divinitatem et potentiam ac majestatem et substantiam eandem sine dubio credamus, ut aeternam attingere mereamur vitam.»

89. II.º Ex Scriptura. a) Inter Patrem et Filium.

1.º *Ego et Pater unum sumus* (1). Ita arguimus cum Chrysostomo (2): «Quare unum esse vi saltem et potestate profiteri debet; »nam de ea sermo erat. Si eadem et una est virtus amborum, eadem »quoque est substantia:» ergo consubstantialis est Filius Patri.

Sermonem autem ibi esse de potestate ac virtute, patet evidenter ex contextu: ut enim probaret Christus eandem se habere cum Patre potestatem, dixit: *Ego et Pater unum sumus*. Athanasius (3)

(1) Jo X, 30. — (2) Homil. 61, in Jo. — (3) Orat. 3, *contr. Arian.* n. 55.

inde arguebat: «Plane impudentes et impii admodum esse mihi videntur Christi adversarii, qui nimirum ubi audierint, *Ego et Pater unum sumus*, sensum verborum adulterare, et Patris ac Filii unitatem dividere totis conantur viribus... Atqui aequum fuisset illos ex his verbis, *Ego et Pater unum sumus*, unam divinitatem et naturae Patris proprietatem percipere.»

2.º Verbum est *verus Dei Filius*; (1): *Unigenitus Patris* (2): atqui, ut arguit Gregorius Naziaz. (3), «Haec geniti natura est, ut idem, si naturam spectes, sit cum eo, qui genuit.»

3.º *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt* (4). Sed id repugnet, nisi Patri esset Filius consubstantialis: inde etiam arguebat Nazianzenus (5): «Nihil ergo peculiare, quia communia omnia, quandoquidem ipsum quoque esse commune atque aequale est ipsi cum Patre, licet alioqui hoc a Patre Filius habeat.»

4.º *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*. Sed nisi ope esset Patri aequalis et consubstantialis non posset eodem modo rari. Judaei autem haec audientes voluerunt Jesum lapidare, quod se aequalem Deo faceret: et Jesus quidem non negavit, imo confirmavit dicens: *Quaecumque enim fecerit, haec et Filius similiter facit... et omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (6). Atqui absurdum id blasphemumque foret, nisi Patri esset consubstantialis: ergo est vere consubstantialis. Athanasius (7) etiam ex hoc testimonio ajebat: «Ex his igitur una Trinitatis efficientia esse ostenditur.»

90. b) Consubstantialis est Spiritus S. Patri et Filio.

1.º Spiritus S. est Spiritus Dei, Spiritus Filii Dei, ut ex cap. I constat: atqui non minus pertinet ad Dei substantiam Spiritus Dei, quam Filius Dei; ergo si Filius est consubstantialis, et pariter Sp. Sanctus. Nazianzenus ait (8): «Si unum dejicis, audax hoc dicam, ne duo quidem superiori loco colloces.»

Sic et Athanasius (9): Sicut igitur spiritus hominis ab humanitate ejus et substantia non est segregatus; sic et Spiritus Dei a divinitate ejus et substantia non est alienus.»

2.º *Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus* (10). Atqui Pater et Filius et Spiritus S. sunt Deus, ut probatum fuit, et operantur omnia in omnibus: ergo sunt idem Deus, seu, sunt consubstantiales. *Min.* prob. Patrem et Filium operari omnia, dictum est in prob. 4.º Quoad Spiritum S. testatur Apostolus (11): *Haec omnia operatur*

(1) I Jo. V, 20. — (2) Ibid. IV, 9. — (3) Orat. 29, 8. — (4) Jo. XVI, 15. — (5) Orat. 30, 11. — (6) Jo. V, 17, 19, 22, 23. — (7) Ep. ad Serap. n. 31. — (8) Or. 31, 4. — (9) *De Incarn. contr. Arian.* — (10) I Cor. XII, 6. — (11) Ibid. 11.

unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult. Sic, quidem, argumentabatur Athanasius (1): «Vides opera, quae Patris sunt, ipsa Filii, eadem quoque Spiritus Sancti.»

91. c) Tres Personae sunt consubstantiales.

1.º *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (2). Ex quibus arguimus; ad remissionem peccatorum et salutem aeternam conferendam eadem est auctoritas Patris et Filii et Spiritus Sancti. Sed hoc impossibile foret, nisi essent consubstantiales: ergo tres Personae sunt consubstantiales. Confirm. Eandem fidem, spem et charitatem habere nos oportet in Patrem, Filium et Spiritum Sanctum. Sed non ita esset, nisi forent ejusdem naturae et substantiae; ergo. Ad rem Hieronymus (3): «Baptizantur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut quorum una est divinitas, una sit largitio: nomenque Trinitatis unus Deus est.» Et Phebadius (4), eadem expendens verba: «Haec est perfecta Trinitas in unitate consistens, quam scilicet unius substantiae profiteamur.» Athanasius autem (5): «Indivisa est Trinitas, et una ejus Divinitas; et unus Deus super omnia, per omnia et in omnibus. Haec est catholicae Ecclesiae fides. In Trinitate enim ipsam fundavit Dominus, qui ait discipulis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine...* Quod si Spiritus Sanctus creatura esset non eum cum Patre copulasset; ne Trinitas sibi ipsi dissimilis esset, si extraneum quidpiam et alienum ipsi adjungeretur. Quid enim Deo deerat, ut quicquam diversae substantiae assumeret et cum illo glorificaretur?»

92. 2.º *Tres sunt qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt;... Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est* (6) Jam vero, si non essent tres Personae unius essentiae, sicut dixit Joannes, *testimonium hominum*, ita dixisset, *Deorum*.

Ad rem Augustinus (7): «Deus itaque summus et verus cum Verbo suo et Spiritu Sancto, quae tria unum sunt, Deus unus omnipotens.» Et iterum: «Hi sunt tres testes; et tres unum sunt: quia unius substantiae sunt.»

Cyprianus autem dicit, agi a Joanne de unitate, quae spectat ad *divinam firmitatem*, seu immutabilitatem: jam vero si Pater, Verbum et Spiritus S., tum secundum personas, tum secundum naturas sunt tres, nulla super est unitas vere divina, firma et im-

(1) De Incarn. contra Arian. n. 14.—(2) Matth. XXVIII, 19.—(3) In Matth.—(4) De fide orth. contr. Arian.—(5) Ep. 3. ad Serap.—(6) 1 Jo. V, 7-9.—(7) De Trinit. l. 5, c. 1. Et contr. Maximin. l. 2, c. 22.

mutabilis: «Dicit Dominus: *ego et Pater unum sumus.* Et iterum de Patre et Filio et Spiritu Sancto scriptum est: *et hi tres unum sunt.* Et quisquam credit hanc unitatem, de divina firmitate venientem, sacramentis coelestibus cohaerentem, scindi in Ecclesia posse?» (1).

93. 3.º Praeter laudatos PP., unitatem consubstantialem docuerunt: S. Hippolytus m. (2): «Aliter Deum unum intelligere non possumus, nisi vere Patri et Filio et Spiritui Sancto credamus.» Eustathius ep. Antioch. in allocutione ad Constant. Imper. ait (3): «Pater glorificatur: Filius simul adoratur: annuntiat Spiritus Sanctus: Trinitas consubstantialis, una divinitas in tribus personis.» Tertullianus (4): Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie: unius autem substantiae, unius status, et unius potestatis: quia unus Deus.» Alios apud Petavium videbis.

94. 4.º Argumentum ex ratione theologica est evidens: si enim non essent Pater, Filius et Spiritus Sanctus ejusdem naturae, vel non essent singuli verus Deus, vel essent plures dii. Atqui tum fidei tum rationi id adversatur: ergo unius et ejusdem debent esse naturae.

95. Objic. 1.º Christus postulavit pro discipulis: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te* (5). Ergo unitas Filii cum Patre est moralis. Resp. Dist. *conseq.* Est moralis tantum; nego. Est etiam moralis; conc. Christus *ut homo* unitatem moralem charitatis, quam nobis communem esse vult, cum Patre habet.

96. Objic. 2.º Joannes quoque dixit: *Spiritus, aqua et sanguis; et hi tres unum sunt.* Sed non sunt unum in natura, sed in significatione vel testimonio tantum; ergo neque Personae divinae sunt unius naturae.

Resp. Dist. *min.* Non sunt unum in natura, si se junctim spectentur; conc. *min.* Prout sunt in Christo; nego *min.* constituunt enim naturam humanam Christi. Sic interpretatur Augustinus in Speculo, cap. II (6): «Quoniam tres sunt, qui testimoniunt dicunt in terra, Spiritus, aqua, et sanguis, *et hi tres unum sunt* in Christo Jesu.» Hic respectus, seu ordo, horum trium ad humanam Christi naturam, clarius significatur per plura exemplaria graeca dicentia: *hi tres in unum sunt.*

97. Objic. 3.º Ante Nicaenum, Patres conc. Antiocheni vocem *ὁμοούσιος* reprobaverunt; item PP. Conc. Ariminensis, post Nicaenum, rejiciendam censuerunt.

(1) De Unit. Ecclae. n. 3.—(2) Bibl. PP. t. 2, p. 462.—(3) Bibl. PP. t. 4, p. 583.—(4) Adver. Prax. c. 2.—(5) Jo. XVII, 21.—(6) Vide Card. Mai, Nova Bibl. PP. t. 1.

Resp. Dist. PP. Antiocheni improbarunt in sensu Pauli Samosateni, quatenus distinctionem Personarum excludebat; conc. In sensu catholico; nego, Patres autem Ariminenses eam rejecerunt non errore doctrinae, sed errore facti: putarunt enim pacem cum Arianis fieri potuisse, vocem tantum praetermittentes, sed eundem sensum omnes retinentes et eandem fidem Nicaenam profitentes, ut dolose mentiebantur Ariani. Cognita autem fraude, poenituit facti Patres Ariminenses.

Objic. 4.^o Ambrosius (1) docet; Deum nec unicum, nec singularem dici debere: ergo consubstantialitas divinarum Personarum saltem non est individua et realis, sed rationis tantum.

Resp. Dist. Id docet Ambrosius, alique Patres, quatenus *unicus* et *singularis* significat solitudinem, seu excludit numerum personarum; conc. *ant.* Quatenus significat unitatem naturae; nego. Ipse Ambrosius mentem suam explicavit: «Singularitas ad personam pertinet, unitas ad naturam.»

SCHOLION.

98. Argumentum ex v. 7, c. V, ep. 1, S. Joannis infirmum aliquibus visum est criticis, quod in graecis, qui superstites sunt, antiquis codicibus nec non orientalibus versionibus, non legatur versiculus ille. Imo neque Patres graeci eo testimonio adversus Arianos usi sunt.

Verum respondemus, parvi facienda argumenta negativa, cum positiva iis opponuntur.

99. 1.^o Cassiodorus, an. 557 scribens, vir eruditissimus, qui magna diligentia priscos consulebat S. Scripturae codices, quosque in ea remotissima aetate, et Romae morans, longe facilius, quam recentiores critici, prae manibus habere poterat, legebat versiculum, *Tres sunt... Pater, Verbum, etc.* atque ita illum interpretatur: «In coelo autem (testificantur) Pater, et Filius et Spiritus Sanctus; et hi tres unus Deus.»

2.^o Fulgentius, an. 468 natus, graece latineque ab adolescentia valde eruditus, quique multa scripsit de rebus fidei opera, non tantum v. 7. legebat, sed et S. Cyprianum legisse testatur. (Resp. *contr. object. Arian.*; Resp. ult.)

3.^o Augustinus saepe usus est hoc Joannis testimonio. (De *Civit. Dei*, l. 5, c. 11, etc.)

4.^o Phebadius, (in lib. *contr. Arianos*, c. 45) meminit etiam

(1) De *fide*, c. 1 et 2.

hujus versiculi. De Cypriano autem jam diximus, et testatur S. Fulgentius, ut notatum est.

5.^o Origenes, in ps. 122, ait: «Haec autem tria (Pater, Filius, et Sp. Sanctus) Dominus Deus noster, siquidem *tres unum sunt.*»

100. 6.^o Tertullianus, ait: «Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto, tres efficit cohaerentes, alterum ex altero, *qui tres unum sint*, non unus.» (lib. *contr. Prax.* c. 25).

Ut autem vim perspicias hujus sententiae, nota; *Tertullianum* ibi intendere distinctionem trium Personarum defendere adversus Praxeam. Quare ergo haec profert verba; *qui tres unum sint*? Quid hoc confert ad distinctionem Personarum suadendam? Scilicet, explicat in eo libro ea S. Scripturae testimonia, quibus Praxeas Personarum confusionem suadere conabatur.

101. 7.^o Aliis praetermissis Patrum testimoniis, Notam adjiciam Cardinalis Maï, (in Nova Biblioth. PP. tom. 1; ad cap. 11, Specul. S. Augustini). «Concil IV. Lateran. itemque plurimi latini codices, ac nonnulli graeci seu libri, seu codices, itemque armeniaci saltem duo vel tres, hanc versiculi septimi auctoritatem continent: quum hunc, inquam, versiculum famigeratae retineant graecae editiones, complutensis, H. Stephani, Waltoni in *Polyglottis*, londinensis Danielis Κοινηβότατα Millii et Westeni, et ipsa italica Joannis Adeodati; quae omnia quamlibet codicum graecorum penuriam abunde compensant.»

102. Unde ad oppositas rationes dicimus, nihil esse nisi negativa argumenta, ideoque positivis comparata nihil efficiunt. In prioribus aliquibus exemplaribus ab originali desumptis, Scriptorum incuria, omissus est v. 7. quia hic simile initium, et similem finem cum 8. v. exhibebat. Quam facillime id accidat exscribentibus quotidiana docet experientia. Inde intelligitur, quod Patres graeci eo non usi fuerint minus certo testimonio, quodque paulatim exulaverit a graecis codicibus, et a multis latinis; tum quia haeresis ariana plurimis annis, in Oriente et in Occidente, grassata est; tum quia similitudo versiculorum errandi semper praebebat occasionem; tum quia, postquam coepit dubitari, minor quoque adhiberetur in eodem scribendo cura. Denique aliae orientales versione factae fuere, cum in multis exemplaribus graecis v. 7 exulabat.

THESIS XI.

Consubstantialitas divinarum personarum est unius realis et individuae substantiae.

103. *Nota.* Rationes pro thesi praecedenti expositae unitatem substantiae realem et individuum suadent. Tamen quia nonnulli haere-

tici, ut Tritheitae, naturam ratione tantum unam, reapse autem trinam, intellexerunt; paucis, hanc naturae unitatem esse realem et individuam declarabimus. Hos haereticos secutum fuisse Joachimum Abbatem, saltem quoad imprudentem loquendi modum, docet Lateran. IV, c. *Damnatus*: «Unitatem hujusmodi non »veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam esse »fatetur: quemadmodum dicuntur multi homines unus populus...»

104. I. Ex sacris Scripturis. Prob. 1.º *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt* (1). Sed id impossibile foret, si distinctam realiter haberet Filius essentiam: ergo eandem habet. Confirm. Id Christus dixit, ut hoc ostenderet: *Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis*, nempe Spiritus Sanctus. Atqui nisi illa consubstantialitas cum Patre esset realis et individua, nullatenus sequeretur quod etiam a Filio processerit Spiritus Sanctus: ergo unam et individuam cum Patre habet naturam.

2.º *Pater meus usque modo operatur et ego operor... Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit* (2). Unde: aut Filius est dependens et inferior Patre, aut est ejusdem numero substantiae. Sed primum repugnat aequalitati et unitati specificae: ergo secundum tenendum.

Quoad Spiritum Sanctum, patet 1.º Quia est aequalis Patri et Filio: ergo habet eandem identitatem cum Filio, quam habet Pater, et vicissim.

2.º *Quae sunt Dei nemo cognovit nisi Spiritus Dei* (3). Sed id falsum esset si haberet essentiam numero distinctam a Patre et Filio: ergo eandem habet et individuam.

3.º Spiritus Sanctus operatur etiam, et quidem independentem, omnia: ergo quod dictum est de Filio, et de Spiritu Sancto dicendum.

105. II. Ex Ecclesiae doctrina.

1.º Conc. Later. IV. c. *damnatus*. «Credimus et confitemur, quod una quaedam summa res est, quae veraciter est Pater »et Filius et Spiritus Sanctus... Quaelibet trium Personarum est illa »res, videlicet substantia, essentia seu natura, quae sola est universonum principium... ut distinctio sit in Personis, et unitas in »natura.» Patet naturae abstractae et communi haec non posse convenire, sed individuae tantum.

106. Gregor. Nyssen. (4): «Natura una est, ipsa secum unita, penitusque ac prorsus unitas individua est... quae non una

(1) Jo. XVI, 15.—(2) Ibid. V, 17, 19.—(3) I Cor. II, 11.—(4) Lib. ad Ablad. *Quod non sint tres dii.*

»cum singularibus, qui ejus participes sunt, dividitur.» Et Gregorius Nazianz. (1): «Simplex Dei essentia, individua, uniusque modi.» Athanasius (2): «Itaque Trinitas sancta et perfecta est, quae in Patre et Filio et Spiritu Sancto agnoscitur... tota »creandi et efficiendi vi predata est: sibi quoque similis et individua naturâ, unaque est ejus efficacia, *εὐεργεσία*... Trinitas non nomine tenus et sola verborum specie est Trinitas, sed vere et re ipsa »existit Trinitas... Nec his minus aliquid sentit Catholica Ecclesia, »ne hodiernos Judaeos et Sabellium sequatur; nec his item plus »aliquid comminiscitur, ne in multitudinem deorum gentilium devolvatur.» Inferius autem ait etiam: «Quod si Trinitas sit, uti re »ipsa est, quae quidem, ut ostendimus, individua nec dissimilis »est, necesse est unam ejus esse sanctitatem, unam aeternitatem, »immutabilemque naturam.. Sancta Trinitas, quae eadem in se ipsa est, et secum ipsa conjuncta est, nihil in se rerum factarum »habet: haecque Trinitatis unitas individua est, unaque in eadem »fides est.» Deinde: «Non ergo extrinsecus accersita est haec nostra »doctrina: sed ipse Dominus Jesus Christus per se ipsum docuit, »quam perfecta et absoluta sit Sancta Trinitas, eamque individuam »ac unam divinitatem existere.»

107. III. Ratione suadetur. Si realiter et numerice distinctam haberent Personae naturam, vere et proprie tres essent dii. Sed unum Deum ex SS. Literis, symbolis, et universa traditione credere debemus: ergo consubstantialitas est unius, realis et individuae substantiae.

108. Objic. 1.º Plerique Patres constituunt ordinem originis inter essentiam Patris et essentiam Filii. Sic etiam conc. Tolet. XV. in professione fidei, ait: «Filius Dei de essentia Patris natus est, »essentia de essentia, sicut natura de natura, et substantia de substantia.»

Resp. Dist. seu explico: ejusmodi dicunt Patres ut significant originem Filii a Patre, et communicationem ejusdem essentiae: conc. Ut velint productionem et originem essentiae Filii distinctae ab essentia Patris; nego. Hic est verus illarum locutionum sensus; unde ait Toletanus: «Quamvis secundum essentiam Pater voluntas, Filius voluntas, et Spiritus S. voluntas, non tamen secundum relativum unus esse credendus est... Quia quibus est unum »esse in Deitatis natura, his est in personarum distinctione specialis proprietatis.»

109. Objic. 2.º Patres unitatem in natura divinarum Personarum comparant unitati specificae quae inter homines existit: ergo Per-

(1) Or. 45.—(2) Epist. ad Serap. n. 28, 30, 33.

sonae divinae non sunt ejusdem naturae individuae. *Ant.* patet. S. Cyrillus (1) ait; filium Abrahae potuisse quoque dicere, quod Christus dixit: «qui videt me, videt et Patrem meum.» Nyssen (2): «Petrus et Jacobus et Joannes cum in una sint humana natura, tres homines dicuntur. Quo pacto... tres hypostases confitentes, et nullam in eis circa naturam differentiam agnoscentes, adversamur quodammodo confessioni, unam quidem deitatem Patris et Filii et Spiritus Sancti dicentes, tres autem Deos dicere vetantes.» Ad hoc respondet: «Secundum exactiorem rationem homo quoque unus proprie dici posset;» ideoque unum quoque Deum dicendum.

110. Resp. *Dist. ant.* Comparant unitati humanae naturae, quia patent esse ejusdem rationis; nego *ant.* Ut aliquam saltem remotam proferant similitudinem; conc.

Nam Cyrillus ait: «Sibi soli supremam similitudinem, imo identitatem attribuit dicens: *qui videt me, videt et Patrem meum.*» Et statim subjicit: *credite quia ego in Patre, et Pater in me est.* «Ubi enim summa identitas est, quomodo alius in alio non erit? «Jam vero, quis non videt unitatem solius rationis non esse summam identitatem? Item Nyssen ait: «In hominibus, quidem, quandoquidem discreta cujusque est actio et operatio, proprie multi nominantur. At in divina natura non ita didicimus, quod Pater faciat aliquid per se solus, quod Filius non una cum eo capessat: aut Filius rursus peculiariter aliquid operetur absque Spiritu.» Inferius autem: «Quoniam omnem circa essentiam diversitatem rejicit divina, simplex, et variari alterarive nescia natura, ut una sit, multitudinis significationem in sese non admittit.»

111. *Objic. 3.º* Nequeunt inter se divinae distingui Personae, quin ea distinguantur et multiplicentur, quae constituunt personam. Atqui natura est de essentia, seu constitutione personae; ad hujus enim spectat definitionem: ergo plures quoque distingui debent naturae.

Resp. *Dist. min.* Natura spectat ad definitionem personae, in recto; nego *min.* In obliquo; conc. Directe constituit personam *subsistentia individua*: si igitur sint plures subsistentiae, et personae plures erunt; licet natura, quam indirecte praesefert, una tantum existat.

112. *Objic. 4.º* Si una et simplex realis essentia est in tribus Personis, iisque identificatur, erunt in Deo contradictiones. Nam primum, a) essentia identificatur cum Patre, et non identificatur; cum sit idem cum Filio, qui nequit cum Patre identificari. Deinde, b)

(1) In Jo. l. 9, c. 40.—(2) Lib. ad. Ablad.

essentia communicatur Filio et non comunicatur; quia identificatur Patri, qui non potest communicari. c) Essentia generat et non generat; quia Pater generat, et Filius et Spiritus non possunt generare. d) Est essentia tres Personae, et non est; quia nequit Pater esse Filius, et Filius non potest esse Spiritus Sanctus. e) Est quid unum, et non est; quia est idem cum tribus, quibus repugnat esse unum.

113. Resp. Haec est praecipua in hoc mirabili mysterio intrinseca difficultas, ad quam solvendam non eidem acquiescunt Auctores responsioni, ut statim dicemus. Suarezius, expensis singillatim diversis solutionibus, quae adhiberi solent, omnibusque fere improbatis, (1) ait: «Semper tamen manet difficultas, quomodo possint inter se habere oppositionem, quae distinctionem realem afferat, si alias sunt omnino idem cum uno tertio. Et ideo in hac difficultate praemittenda censeo verba Anselmi, (2) ubi hanc difficultatem attingens, inquit: Si negat tria dici de uno posse, sicut nos in tribus Personis et uno Deo fatemur, quoniam hoc in aliis rebus non videt neque in Deo intelligere valet, sustineat paulisper aliquid, quod ejus intellectus penetrare non possit, in Deo esse; nec comparet naturam, quae super omnia est libera ab omni lege et loci, et temporis, et compositionis; et credat aliquid in ea esse, quod in rebus aliis esse nequeat. Idem fere habet Hilarius (3), et omnes Patres in hac materia; et D. Thom. in l. p. (ubi supra) fatetur, nullum exemplum posse ad hoc afferri ex creaturis, quod non magis dissimile sit, quam simile.»

114. Ut autem, more scholastico, distinctionem aliquam ad propositam difficultatem adhibeamus, observare oportet cum eodem Suarezio (ibid.): «Si semel concedatur, in re ipsa non esse actualem distinctionem inter relationem et essentiam, neque etiam in re ipsa personalitatem esse proprium modum, quatenus a vera entitate distingui solet; in aliis solum esse differentiam in locutione, sive illa distinctio vocetur rationis, sive formalis, sive virtualis, aut fundamentalis: nam ad hanc distinctionem omnia haec suo modo concurrunt; et ideo a quolibet illorum denominari potest.»

His positis, distinguo: Si una et simplex realis essentia est in tribus Personis, iisque identificatur *actu* et *virtute*, erunt in Deo contradictiones; conc. Si *virtualiter* autem ab iis distinguatur; nego. Ut enim ex SS. Patribus notat Suarezius, ea quae in creatis vera esse nequeunt sine actuali rerum distinctione, veritatem in divinis assequuntur, propter eminentem perfectionem illius simplicissimae essentiae, quae est virtualiter multiplex. Unde

(1) De Trinit. l. 4, c. 3 et 4, n. 15.—(2) Lib. de Incarn. c. 6.—(3) De Trinit. l. 1.

Bernardus ajebat, apud Suarezium (1): «Nisi omnia unum in Deo, et cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum. Mihi vero non deest, quid cogitem melius ejusmodi Deo tuo. Quaeres, quid? Mera simplicitas.» Illa, nempe, summa simplicitas aequivaleret, imo superat quamlibet multitudinis praestantiam et efficaciam. Igitur contradictoriae illae affirmationes, «identificari et non identificari,» «communicari et non communicari,» «generare et non generare,» «esse tres et non esse tres,» «esse unum et non esse unum,» non sunt verae contradictoriae, licet realiter dicantur de simplici essentia: quia affirmatio et negatio attingunt rationes *virtualiter* distinctas.

ARTICULUS III.

**Personarum divinarum unitatis et distinctionis
mysterium**

Quas excogitaverint Auctores de hac re sententias, et quam istae prae se ferant probabilitatem, penitus ignorare theologum minime decet, cum de summo christianae fidei mysterio sermo sit.

§ I.

Distinctio realis rejicitur.

115. Gilbertus Porretanus logicis conceptionibus innixus, et apparentibus territus contradictionibus, distinctionem realem inter divinam naturam et personalitates sibi finxit, et quaternitatem Trinitatis mysterio subrogare voluit. Verum in Conc. Rhemensi, sub Eugenio III, damnata est Gilberti doctrina, quam ipse humiliter retractavit. Item Conc. Later. IV, cap. *Damnatus*, definivit; quaternitatem, seu quatuor res, non esse dicendam in divinis. Praeterea, commune est theologicum effatum, a Conc. Tolet. XI et a Florentino confirmatum, quod «omnia in Trinitate sint unum, ubi non obviat relationis oppositio;» quae sane non intercedit inter essentiam et personalitates.

(1) *De Trinit. c. 4, n. 10.*

§ II.

Durandi opinatio.

116. Unde alii Doctores a praedicto errore declinantes, modalem tantum distinctionem excogitarunt inter naturam et Personas; cuius sententiae fuisse dicitur Durandus. Scilicet, diversos esse modos unius essentiae relationes divinas putavit, ideoque ab illa distingui in re ipsa, distinctione actuali modali: sufficientem esse hanc distinctionem, et necessariam ad ea, quae contradictoria in hoc mysterio videntur, explicanda docuit auctor ille.

117. At vero cum doctrina fidei non cohaerere opinionem hanc facile patet. a) In primis sequeretur personas divinas compositas esse, ex essentia, nempe, et accidente modali. Atqui fides docet Deum esse summe simplicem: ergo quaelibet Persona non est perfecte et vere Deus. b) Deinde illi modi (personalitates), cum sint quid reale, et distinctum ab essentia, et non sint simpliciter ens, sed *entis ens*, sunt consequenter quid imperfectum, ideoque non sunt ens a se: ergo sunt quid effectum. Atqui repugnat in Deo quaevis imperfectio: ergo et modalis distinctio.

c) Conc. Rhemense, sub Eugenio (1), definivit; «in nullo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, et Deus divinitas, ... nec aliquas omnino res, sive proprietates, sive relationes, sive singularitates vel unitates dicantur, vel alia hujusmodi, adesse Deo, quae non sint Deus.» Atqui si personalitates sunt modi divinitatis, non poterit dici quod sint Deus, sicut motus animalis non est animal; nec poterit dici, quod divinitas sit Deus, et Deus divinitas, quia non est identitas: ergo modalis rejicienda distinctio.

d) Tandem falso asserit Durandus, sufficientem esse suam distinctionem modalem actualem, nisi alium superaddat errorem, scil., Personas ad invicem solum modaliter etiam distingui. Nam juxta principium, quo innixus suam defendit modalem distinctionem, eo modo identificari debent Personae inter se, quo identificantur cum tertio, id est, cum essentia. Atqui cum essentia ita identificantur, juxta ipsum, ut non sint res omnino condistinctae, sed modi tantum ejusdem: ergo inter se non sunt Personae res omnino condistinctae, sed modi solum ab invicem modaliter condistincti: jam vero hoc est haereticum, cum sint vere subsistentes.

(1) Vide supra Disq. V, Thes. XI.